

Cicero, Philippica II – By Phrase

[1] [1]

Quonam meo fato,

patres conscripti,

feri dicam,

ut nemo

his annis viginti

rei publicae fuerit hostis,

qui non

bellum

eodem tempore

mihi quoque indixerit?

Nec vero necesse est

quemquam a me nominari;

vobiscum ipsi recordamini...

Nemo enim illorum

inimicus mihi fuit voluntarius,

omnes a me rei publicae causa lacessiti.

Tu

ne verbo quidem violatus,

ut

audacior quam Catilina,

furiosior quam Clodius

Cicero, Philippica II – By Phrase

viderere,
ultra me maledictis lacesisti,
tuamque a me alienationem
commendationem tibi
ad impios civis
fore
putavisti.

[44]

Visne igitur

te inspiciamus
a puero?

Sic opinor;
a principio ordiamur...

Sumpsisti virilem,
quam statim muliebrem togam reddidisti.

Primo vulgare scortum,
certa flagitii merces,
nec ea parva;
sed cito Curio intervenit,

qui te a meretricio quaestu abduxit
et,
tamquam stolam dedisset,
in matrimonio stabili et certo collocavit.

Cicero, Philippica II – By Phrase

[45]

Nemo umquam puer

emptus libidinis causa

tam fuit in domini potestate

quam tu in Curionis.

Quotiens te pater eius domu sua eiecit,

quotiens custodes posuit,

ne limen intrares!

cum tu tamen

nocte socia,

hortante libidine,

cogente mercede,

per tegulas demitterere.

Quae flagitia domus illa diutius ferre non potuit.

Scisne

me de rebus mihi notissimis dicere? ...

[47]

Sed iam stupra et flagitia omittamus:

sunt quaedam,

quae honeste non possum dicere;

tu autem eo liberior,

quod ea in te admisisti,

quae a verecundo inimico audire non posses.